

EMINENTISSIMO CARDINALI DOMINO
DOMINO FRANCISCO
DE LA ROCHEFOVCAVLT.

D. D. C.



VOD in purpuram peccare videor (CARDINALIS EMINENTISSIME) *tua me excusabit pietas, cui reddo quod debebam: Exiguum enim hoc munus nec cuiquam consecrari potuit aptiùs quàm tibi, cùm sacrorum sit: nec meliùs quòd temeritatis & culpæ suspicionem omnem amoueat. Qua in re lætor plurimùm me reperisse, non modò quo delectari possis, sed cuius defensionem auidè suscipias, sacrorum intelligo, quorum maxima est, & semper fuit apud te commendatio. Etenim tui sunt operis restaurata templa, aræ erectæ, totque hominum religiosi cœtus aucti & propagati, quod cùm hîc habeamus, longiùs exempla quærere non debeo, sed vnà cum omnibus huius vrbis splendorem pietati tuæ, & morum sanctitati tribuere, quæ in eo cæteris omnibus anteponenda est, quod te habeat. Nihil ergo mirum videri debet, si de sale dicturus ad te salis fontem accedo, nam & sacer est, & quanto in honore apud antiquos fuerit, testantur tum Numæ Pompilij edictum, tum hoc diuinitatis oraculum, quo nefas erat sacrificia sine sale peragi, atque hunc morem in nostris etiam sequimur, quibus cum te diu præesse necessum sit, & optemus, vnà cum sale præcipuas victus leges obtulimus, quæ vtinam annos tibi Nestoreos comparent, multorum enim fata, & salus in te posita sunt, quia humanitatis, & tui muneris est, quod viuant. Tu verò* CARDINALIS EMINENTISSIME, *diu viue*, TIBI, *Religioni, & vniuerso terrarum orbi.*

Tibi addictissimus cliens,

FRANC. LE VIGNON.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS III. MARTII.

M. CAROLO LE CLERC Doctore Medico, moderatore.

787

An sal ad vitam necessarius?



MNE animal tandiu viuit quandiu nutritur: sed quùm perennis fiat substantiæ iactura, non modò ab aduenis, verùm & ab indigenis causis, eam continenter alimento solido, liquido, & aëreo per nutritionem reliquarum functionum basim, reparari necesse fuit: vitæ proportionem habere oportet, quod in viuentis substantiam cessurum est: nihil vno elemento, odore, sale, veneno, medicamento, metallo, ne auro quidem potabili nutritur, quò diutiùs natiuus calor cum humido primigenio nusquam reparabili conseruatur, eò longiùs viuitur: Septentrionales Meridionalibus μακροβιώτεροι: vita hominis sine cibo & potu ἑπταήμερος, peius est illo, quàm hoc repleri, in cœna præsertim quæ prandio plenior esse debet: inediam ferentes potiùs siti quàm fame vrgentur: nusquam adest sine luctu naturæ, accedit animi defectus, conuulsio lethalis, quam febri, vt febrem conuulsioni superuenire, malum: Senes omnium facillimè ieiunium ferunt, secundum hos qui constantem ætatem agunt, minimè omnium pueri, atque inter eos qui acriore, & viuidiore sunt ingenio præditi.



LIMENTA sint εὔκρατα, εὔχυμα, εὔπεπτα, sed interdum deteriora salubrioribus, carnes piscibus, elixæ assis præferantur, sua tamen habeant ὑποτρίμματα, calida frigidis, frigida calidis contemperentur: Est ἥδυσμα veluti ciborum quædam præparatio, qua insuauis cibus iucundior redditur: Infantibus dulcia, mediæ ætatis acria, senibus salsa magis prosunt: primas teneat quod superfluas humiditates exsiccat, & putredinem arcet, omphacium, succus limonum, aurentiorum, oxalidis, piper, cinnamomum, caryophylli, nux moschata, sinapi: Sed vt Sole, sic Sale nihil vtilius, θεῖος καὶ θεοφιλέστατος; menti sagacitatem & prudentiam conciliat, ad sales, ad dicteria, ad venerem (cuius maius est incitamentum viris hyeme, fœminis æstate) excitat: maritimæ gentes alijs salaciores, & ventres habent astrictiores, his salsæ aquæ quamplurimùm noxiæ: quæ vt dulces omnes magis immutant corpora quàm aër.



AL omnis aut fictitius, aut natiuus est: pessimus lacustris, perfectissimus marinus, si densus, æqualis, candidus & pellucidus, modò aqua pluuiali omnium optima inspergatur & irroretur, modicè suaui sua acrimonia adstringit, expurgat, absterget, dissipat, reprimit, appetentiam excitat, coctionem iuuat, & ἀνάδοσιν promouet: admiscetur medicamentis psoras abstergentibus, excrescentia in oculis reprimit, hydropicis auxiliatur, & pruritus sedat: Cum gustus sapore cuncta præcipuè percipiat, dulci, amaro, acido & salso, pauca per se voluptate possent gustum afficere nisi permistione salsi, aut aliqua inter ipsos proportione seruatâ, quæ maximè salem imitatur, condirentur: Est inter sapores suauissimus quidam Hymænæus ad illos inter se coniugandos atque cum gustu consociandos: sal est primum sapidum & gustabile, & omnia quæ saporem habent, eum propter salem habent; solus tamen dulcis ad nutritionem est aptus, quò fit vt cibus tantò parciùs nutriat, quantò minùs particeps est dulcedinis: nocent sal gemmæ, sal ammoniacus, qui in ignem iniecti non crepitant, sed vt ferrum ignescunt.



PAGE cum sulphure & mercurio salem, ridiculum & imaginarium Chymicorum principium, hæc tria malè ominata verba Hippocraticum & Galenicum medicum à Paracelsista & sycophanta discriminant: Explora eorum remedia, plena periculi omnia; mercurius, stimmi, arsenicum, sandaracha, auripigmentum, vniuersa mineralium familia venenis adscribenda: blanda validioribus, simplicia compositis, vniuersalia topicis præferantur: Paregoricis non blandiendum symptomatis, sed causæ & morbo viriliter succurrendum: procul exulent περίαπτα & amuleta omnia, vt radix pœoniæ maris aut fœminæ decussatim contra epilepsiam collo admota: placent quę alimenti & antidoti rationem obtinent, hoc alterat & detrahit, illud alit, & addit, multò verò faciliùs si sapore salso condiatur, qui plus valeat humoris linguæ ac palato ad gustandum suggerere: si sal deest, ipsi succenturietur sal Indus, quem si saccharum aut Zuccharum nomines, non interest, nihil est quod magis ad salis naturam accedat, nostras non est aliud ab antiquorum saccharo.



NΑΓΚΑΙΟΝ λέγεται οὗ ἄνευ οὐκ ἐνδέχεται ζῆν: vbi liquidi defectu vitę flos amœnus marcescit, nunquid liquore aliquo ablactandus? quonam amabiliori quàm vino? quod minimè necessarium, etsi calorem natiuum vegetum seruet, imminutum augeat, deiectum erigat, semisopitum excitet, famem tollat, imò & ἀθρόως καὶ ταχέως nutriat, in eo censu sal reponitur: ægrotis tanquam hostis infensissimus interdicitur, corpus & oculos offendit. Plantę marinâ aquâ inspersæ bellè nutriri, nec fructus ferre possunt: bruta omnia etiam viuaciora à sale abstinent: Australes & barbaræ multæ gentes salem, hominum inuentum, non norunt; quis nescit Ægyptiis sacerdotibus irreligiosum fuisse salem tangere?

Ergo sal non est ad vitam necessarius.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS LE VIGNON Parisinus, Anno R. S. H. M, DC. XXXIII.